



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Sol Triplex In Eodem Universo

Hermann, Amand

Sultzbaci, 1676

Quæstio Prima. An Anima Rationalis sit Spiritualis?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95850](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95850)

Trinit. 20. Trinitur cognitio in quibus voluntas ipsa propter se ipsam delectata conquisit. Ergo ex mente D. Augustini delectatio, & tristitia sunt in voluntate, & consequenter voluptas & dolor erunt in appetitu sensitivo. Sed ex allegatis textibus probat Nebrudius, omnes passionibus esse voluntatis secundum D. Augustinum, & sic nullum dari appetitum sensitivum, sed perperam, nam ipse D. Augustinus lib. 5. de Civit. 11. ait, appetitum sensitivum esse nobis commune cum brutis, sed voluntas non est communis, ergo appetitus non est ipsa voluntas, consequenter nec omnes passionibus erunt voluntatis formaliter, licet sint causaliter. Deinde idem attribuit appetitum aliquando quod est voluntatis & e contra, indifferenter sumendo voluntatem pro appetitu, & appetitum velut voluntatem, nempe materiale. Iterum non video quare tam acriter defendat sensum internum cognoscitivum distinctum ab intellectu communem nobis & bestiis, & non etiam appetitum illi sensui correspondentem, cum etiam dicat lib. 3. Trinit. 9. Animalia habent sensum appetendi, que secundum naturam sunt vitandis, contraria. Citius concederem ex D. Augustino posse probari passionibus illas esse actiones cum supra dicat cap. 5. Cum consentimus appetendo ea, que volumus cupiditas, cum au-

rem consentimus fruendo his que volumus letitia vocatur. Nisi facillime explicaretur causaliter cum loqui, non formaliter, & quamvis eodem modo loquatur de cupiditate & letitia, prior tamen est actus posterior passio, & prior est predicatio formalis, posterior causalis.

Queres, Quenam sit causa delectationis & tristitia? Respondeo nec esse solum objectum, nec solum voluntatis actum, sed simul actum apprehensionis objecti & actum voluntatis.

V. Causa letitia & tristitia.

Probatur prima pars. Quia objectum aliquando non est nisi ens privativum, vel materiale, sed tale non potest immediate agere in voluntatem, ergo non poterit causare tristitiam, vel letitiam.

Probatur secunda pars: Quia si voluntas esset causa harum passionibus immediate, essent in ipsius potestate, sicut volitio & nolitio, sed non sunt sic, ut de se patet, ergo.

Probatur tertia pars: Quia non statim, ac apprehendimus objectum, ut presens, & conveniens aut disconveniens causatur in voluntate gaudium, vel tristitia, sed requiritur etiam, quod sit volitum, vel nolitum.

DISPUTATIO VII.

DE ANIMA RATIONALI SECUNDUM SE.

Essentiam rationalis anime facillime quilibet cognoscere poterit, qui se supra dicta reflexerit in prima Disputatione, unde communiter definitur, quod sit actus corporis organici potentia vitam rationalem habentis, seu quod sit Principium Physicum ratione cujus competit substantia corporea discurrere. Ideo hacce in Disputatione nonnulla differentialia hic erunt examinanda, & singulariter num spiritus, mortalis sit, & ex traduce gignatur, qua etiam sequentibus breviter expediam. Sit ergo

QUESTIO I.

An anima rationalis sit spiritualis?

I. Antequam ad resolvendam questionem accedam, Prænotandum primò Spiritum multipliciter sumi posse, primò pro vento sic dicitur Gen. 3. Adduxit spiritum super terram & imminuta sunt aqua. Psal. 47. In spiritu vehementi conteres naves. Et 150. Spiritu procellarum. Secundò accipitur nonnunquam pro temperamento primarum qualitatum in vivente, sic Prov. 17. dicitur: Spiritus tristis exsiccat ossa. Tertio pro anima sensitiva, sic Ecclesiast. 3. dicitur: Quis novit si spiritus siltorum Adam ascendat sursum, & spiritus jumentorum descendat deorsum in quo sensu etiam D. Bernardus serm. 5. in Cant. dicit: Quatuor spirituum genera nota sunt vobis, pecorum, noster, Angelicus & qui condidit istos. Ubi generatim animam sensitivam spiritum vocat. Quarto sumitur striè, prout opponitur rebus corporeis, & in hac acceptione.

II. Prænotandum secundò: Spiritum bene describi esse substantiam potentem connaturaliter occupare locum divisibilem indivisibiliter, ita ut non exigat connaturaliter determinatum locum, cum possit esse in majori, vel minori. Et patet, quia sic descriptus distinguitur à substantia corporea, quod sufficit ut explicetur natura substantia spiritualis, prout opponitur corporea.

III. His prænotatis queritur primò, an anima rationalis sit particula divinæ naturæ? Ut voluit olim Carpentarius, Cerdo, Gnostici, Manichæi, & Priscillianistæ, & videntur etiam sic sensitisse olim Plutarchus, Philo Judæus. Secundò, an sit corporea, vel purè spiritualis nihil habens de materia? Tertio an sit forma informans, vel tantum assitens? Pro primo querito

Dico primò: Anima rationalis in homine non est aliqua divinæ mentis particula de Deo inspirata. Ita D. Augustinus serm. 191. de temp. Animas a Deo dari credimus quas ab ipso factas dicimus anathematizantes eos, qui animam quasi partem Dei, divinæ dicunt esse substantiæ. Unde lib. contra Mend. ad Consent. 5. ait: Priscillianista dicit, quod anima sit pars Dei, & ejusdem, cujus est ille, naturæ

III. Anima non est aliqua divinæ mentis particula.

naturæ ac substantiæ, magna hæc est & detestanda blasphemia: Sequitur enim ut Dei natura capriviatur, decipiatur, fallatur, conturbetur atq; turbetur, damnetur atq; crucietur. Et Disput. I. contra Fort. Si anima substantia Dei est, substantia Dei errat, substantia Dei corrumpitur, substantia Dei violatur, substantia Dei decipitur quod nefas est dicere. Epist. 28. ad S. Hieronym. dicit: Non est pars Dei anima si enim hoc esset, omnino incommutabilis, atq; incorruptibilis esset. Quod si esset, non deficeret in deterius, nec proficeret in melius, nec aliquid in semetipsa inciperet habere, quod non habebat, vel desineret habere quod habebat, &c. Deduci potest quoque ex D. Bernardo serm. 80. in Cant. concedens animam esse ad imaginem factam non esse tamen imaginem sed ad similitudinem, dicens: In quo similis sit queris? Audi de imagine prius, verbum est veritas, est sapientia, est iustitia, & hæc imago, cuius? Iustitia, sapientia, & veritas, est enim imago hæc iustitia de iustitia, sapientia de sapientia, veritas de veritate, quasi de lumine lumen, de Deo Deus, horum nihil est anima, quia non est imago, est tamen earundem capax appetens, & inde fortassis ad imaginem. Sed in anima esset particula divinæ naturæ esset sapientia, veritas de veritate, sapientia, &c. Credendum itaq; est, claudit D. Augustinus lib. 7. litt. cap. 1. Et intelligendum, neque ullo modo dubitandum, quod recta fides habet, animam sic esse à Deo, tanquam rem quam fecerit, non tanquam de natura cuius est ipse, sive genuerit, sive quoquo modo protulerit. Rationes proinde adducere non est necesse, continentur enim sufficienter in allegatis auctoritatibus. Unde

IV.

Anima rationalis est pure spiritualis.

Dico 2. Anima rationalis est spiritualis pure, ita quod nil materiæ habeat. Ita communissima. Prima pars est contra antiquos, contra D. Bonavent. & nonnullos alios.

Probatur prima pars primò

Ex Scriptura Luc 23. In manus tuas Domine commendo spiritum meum. Ecclesiast. ultimo. Revertatur pulvis ad terram suam unde erat, & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum. Quos Textus omnes Patres intelligunt de spiritu prout corpori opponitur, non de aère, vel igne. Confirmatur ex Concil. Later. sub Innocentio III. cap. formiter de summa Trinitate ubi dicit: Naturam humanam constitui ex spiritu & corpore.

Probatur secundò Ex auctoritate

SS. Patrum Augustini lib. 12. Gen. Litt. cap. 33. ubi dicit: Animam verò, inquit, non esse corpoream, nec me putare, sed plane scire audeo profiteri. Lib. 4. de an. & ejus orig. cap. 23. dicit: Quocirca si & illa, quæ de anima incorporea disputata sunt capis & sapu, non est unde tibi displiceam, quod eam dixi me scire non corpus esse, sed spiritum, quia & corpus esse non monstratur & generali nomine spiritus vocatur. Lib. 6. Trinit. cap. 6. Creatura spiritualis sicut est anima est quidem in corpore u comparatione simplicior, composita tamen est metaphysicè, & proprietates formaliter distinctas habet, quæ non mole diffunditur per spatium loci, sed in quolibet corpore, & in toto tota est, & in qualibet parte ejus tota est. Et ideo cum sit aliquid in quavis exigua particula corporis quod sentiat anima, quamvis non fiat in toto corpore, illa tamen tota sentit, quia

totam non latet. Similia habet lib. contra Epistol. fund. 16. lib. de quant. animæ cap. 34. lib. de immort. animæ cap. ultimo, &c. Deinde S. Bernardi tract. de vita solit. ad fratres de monte Dei cap. 15. ubi animam sic describit. Anima est res incorporea rationi capax, vivificando corpori accommodata. Et serm. 5. in cantica universaliter dicit: Habet ergo necessarium corpus spirituali creatura, quæ nos sumus. Ubi totum hominem spiritualem dicit à parte principaliori. Item serm. 27. ait: Nam etsi anima minima, cum sit spiritus, quantitatem corpoream recipit, tantum confert illi gratiam, quod negatum est à natura. Crescit quidem & extenditur, sed spiritualiter, semper per charitatem ut ibidem fuse profertur.

Probatur tertio Ratione, quæ

vis non evidenti, Anima rationalis habet operationes & potentias spirituales, ergo & ipsa est spiritualis: Consequens patet, quia respectu potentias esse altioris ordinis, quam essentia: probatur antecedens, intellectus enim & voluntas operantur circa spiritualia objecta, de materia abstractissima, ergo sunt potentie materiales & spirituales; probatur consequentia hæc, quia potentie quas constituit materiales potius impediunt operationes circa objecta spiritualia ut experientia patet.

Probatur quarto eadem pars. Quia

homo inclinatur ad perfectiones & virtutes, quod tamen non contingeret, si spiritualis non esset, ergo: probatur sequela, quia truncandaretur solummodo ad bonum voluntatis & sensus appetitivi, quia hæc sola potentia esset, quæ objectum proponeret, ergo.

Probatur quinto: Si anima esset

materialis deberet deficere cum corpore, sed non deficit, ergo: probatur minor, quia constat quòd licet sensus hominis debilitetur, non debilitatur tamen anima, sed potius crescit in perfectionibus suis, quia videmus, quòd homines quòd seniores, eò prudentiores & sapientiores. Et licet nonnunquam pueriles efficiantur non est ratione animæ sed ratione organorum corporeorum. Probatur adhuc, si anima non esset spiritualis non posset intelligere universalialia intellectus, sed intelligit, ergo est spiritualis: probatur sequela majoris à paritate omnium sensuum, quos constat nunquam percipere universale, oculus enim non videt colorem, ut sic, nec auris audit sonum commune, nec tactus tangit nisi tangibile hoc: probatur minor ex Aristotele qui dicit intellectum esse universalium, sensum verò particularium: non experientia, quia videmus, quòd intellectus cognoscat entia abstracta præcisè & communia.

Dices: Sensum commune internum

posse cognoscere universalialia, ergo licet sensus externus non cognoscat, ex hac cognitione non potest quis inferre animam esse spiritualem. Contra: sensus internus non cognoscat nisi objecta & actus sensuum externorum, sed hi sunt singulares, ergo etiam actus sensus interni erunt singulares, cum nihil percipiat, nisi quod perciperunt sensus externi, alioquin posset etiam percipere spiritum. Contra secundò: Quia

senfus internus nihil percipit nisi sub ratione materiali, unde etiam solet sibi fingere Angelos esse alatos pueros. Secunda pars colligitur quidem ex superius dictis, attamen etiam hic adhuc probatur & primo quidem, quia nulla forma constant materia, sed Anima est forma, ergo. Secundo, quia si Anima constaret materia, deberet dari penetratio corporum connaturaliter, sed haec in omni schola negatur, ergo. Tercio si Anima constaret materia, illa deberet esse utique organizata, sed talis esse nequit, ergo: probatur sequela, quia Anima nequit esse pars alicujus nisi sit illa pars debite disposita, per hoc enim distinguitur Anima ab aliis formis: probatur minor, si materia illa esset organizata, Anima constitueret cum ipsa unum per se vivens & consequenter cum homine non faceret nisi unum per accidens. Quarto illa materia ex qua componeretur Anima, vel esset corporea, vel esset spiritualis: Non corporea ut modo probavi, nec etiam spiritualis, quia illa materia spiritualis in Anima deberet esse aliqua pars passiva intrinseca & per se inclusa in composito, sed implicat materiam spirituales esse ralem partem, ergo: probatur minor, implicat pars passiva intrinseca in aliquo composito quin aliqua operationes illius compositi connaturaliter illam requirant, ut non possit esse connaturaliter absque illa parte, sed nulla prorsus possunt assignari operationes anima separata, cum nullas habeat operationes, ut supponitur praeter intellectiones & volitiones, ac motum localem, certum est autem, quod haec operationes connaturaliter non magis exigant dari materiam in anima, quam non dari.

IX.
Anima nisi
habet ma-

X.
Quomodo
Patres dicant
Animam
habere ma-

Opponitur Auctoritas SS. Patrum Augustini lib. 5. supra Genesim cap. 7. & 6. Et lib. 1. Contra Academicos cap. 7. Secundò, de Trinit. cap. 7. & lib. 3. cap. 1. lib. 9. de Civit. cap. 13. & lib. 11. cap. 23. Bernardi Serm. 5. in Caat. ubi angelis tribuit corpora & materiam: imò lib. 5. de Considerat. cap. 4. de angelis sic ait: Et primo quidem Civis spiritus esse illis potentes, gloriosos beatos, distinctos in personas, dispositos in dignitates, ab introstantes in ordine suo perfectos in genere suo, corpore aethereo, immortalitate perpetuos, impassibiles, non creatos, sed factos, id est gratia, non natura, mente puros, affectu benignos, religione pios, castimonia integros, unanimitate individos, pace securos a Deo conditos, Divinis laudibus & obsequiis deditos. Scoti quaest. 15. de anima n. 2. ubi ad quaestionem respondendo dicit: Respondedo, quod probabiliter dici potest, quod in anima sit materia. Sed respondeo SS. Patres non velle, quod Anima constet ex materia, sed solummodo intendunt dicere, eam respectu Dei, ejusque summe simplicitatis materiam habere, quod de materia Metaphysica congruè accipi potest, id est pro genere; sic enim Anima multo materialior est, quam Deus, qui nullo modo ex genere constat, & hoc patet ex eo, quod illud non afferant affirmative, sed potius dubitative, prout expressè facit mellissius citatus, imò D. Aurelius lib. 2. Retract. cap. 56. id expressè revocavit. Ad Scotum respondeo eum locum esse ex mente aliorum non sua, patet ex illo.

E. Amandi Hermann Physica.

quod subdit, secundum fundamenta Philosophi & eorum qui ponunt contrarium.

Instatur: Scotus non modò ex mente aliorum, sed etiam propria id asserit videlicet quaest. 1. de primo principio & quaest. 7. ac 8. quodlibeto 9. Respondeo ut ante, quod licet Scotus ex praefatis locis rem ex professo traheat, id tamen facit tantummodo disputative, adeoque ex illis nihil determinate concludi potest, nam supra hoc (inquit) sunt duo modi solennes dicendi, primus est, quod nec in Angelo, nec in anima est producta materia. Cujus rationes cum attulisset, subdit: Modo est alia positio, quae dicit, quod necesse est tam animam, quam angelum immitti materia. Sed ex ratione

Arguitur primo: Omne quod continetur in genere, constat genere & differentia, sed genus desumitur à materia, & differentia à forma ex 8. Metaphys. ergo omne quod continetur in genere constat materia, atqui Anima est in genere substantiae, ergo. Respondeo distinguendo majorem, constat genere & differentia Physicà, nego majorem, Physicà vel Metaphysicà, concedo: Et distinguo minorem genus Physicum desumitur à materia concedo minorem: Metaphysicam nego minorem; vel aliter distinguo minorem, genus desumitur à materia proprie dicta, tantum nego minorem; à materia etiam analoga, concedo. Itaque in Anima sicut est genus, ita etiam est aliqua materia, id est aliqua potentialitas, quae per aliquem alium gradum est perfectibilis, non tamen in ipsa est materia proprie dicta.

XI.
Anima habet materiam Metaphysicam.

XII.
Esse subiectum accidentium non est proprietas materiae.

Instatur: Ubi sunt proprietates materiae proprie dictae, ibi ipsa est, sed in Anima sunt, ergo. Probatur, recipere & subiectum esse est proprietates materiae, sed anima est subiectum, & recipiunt habitus supernaturales, & alia accidentia, ergo. Respondeo negando minorem, cujus probationis majorem distinguo recipere & subiectum esse est proprietates materiae, ita ut ex subiecto ipso, & forma recepta fiat unum compositum substantiale concedo majorem; recipere & subiectum esse accidentium est proprietates materiae propriae dictae nego majorem. Itaque haec proprietates posteriori modo non conveniunt materiae primae, sed materiae secundae, id est est cuicumque substantiae creatae & finitae. Si istes, quod esse non competat rei, nisi ratione materiae, atqui cum habeant esse, etiam materiam habere debebunt, si inquam, istes, negando est major, quia esse & non esse rebus non competit praecise per materiam, sed quia nullum habent agens extrinsecum, quod ipsis det esse, adeoque ex se hoc habent.

XII.
Esse subiectum accidentium non est proprietas materiae.

XIX.
Equivoce actione potest idem agere & pati.

Arguitur secundò: Nulla substantia potest secundum idem agere & pati, movere & moveri, sed anima agit & patitur, movet & movetur; ergo non secundum idem ergo habet materiam, quia id quod agit secundum formam agit, & secundum materiam

XIII.
Equivoce actione potest idem agere & pati.

Eccce patitur.

patitur. Respondeo distinguendo majorem: Nulla substantia potest secundum idem agere & pati actione & passione univoca concedo majorem; æquivoca nego majorem; & distinguo similiter minorem & consequens. Itaq; Anima movet & movetur æquivoca actione & motu ad diversas formas & respectus, sicut Titius & docere potest Jus, & doceri Medicinam.

Instatur: Philosophus 7. Metaph. distinguit seipsum movens in partem moventem & motam; ergo secundum idem, nec actione æquivoca idem se potest movere. Respondeo Philosophum intelligendum de motu Organico, & locali successivo, non verò de alterativo.

Urgetur: Anima movetur motu locali & successivo, & in ipso erit distincta pars movens & mota & consequenter materia. Respondeo distinguendo antecedens motu locali & successivo, ita quòd successivo oriretur ex partibus integralibus compositi ipsius, nego antecedens, ex ratione distantia spatio, concedo.

XIV.
Nulla substantia creata est Physicè & Metaphysicè purus actus.

Arguitur 3. Nulla substantia creata est pura potentia, quia esset nihil, nec est purus actus, quia esset Deus; ergo est composita ex actu & potentia, potentia autem est materia, ergo. Respondeo distinguendo primam partem antecedentis, nulla substantia completa, concedo antecedens; incompleta nego, nec ex hoc sequeretur, quòd esset nihil, sed nihil completum. Distinguo etiam alteram partem, nec est actus purus Physicè & Metaphysicè concedo: Physicè solùm & compositus Metaphysicè nego, Anima autem est Metaphysicè composita ex genere & differentia, & sic non est actus purus Metaphysicus, bene tamen Physicus. Quòd autem sit Metaphysicè composita Anima, patet, quia habet potentiam contrahibilem, & actum contractivum, seu perfectibilitatem & perfectivitatem rationem conveniendi & disconveniendi.

Dices: Ratio conveniendi & disconveniendi desumitur à materia; ergo si hanc &c. habet, habebit quoque materiam. Respondeo rationem conveniendi non esse solam materiam, quæ facit unum compositum per se cum forma, sed materiam Metaphysicam, quòd patet ex eo, quòd accidentia habeant rationem conveniendi, & tamen non componuntur ex materia Physica.

XV.
Incertum est an Anima non habeat aliquam materiam spirituales.

Dico 3. Incertum planè est, an anima vel etiam Angelus non consent materia aliqua spirituali. Ita expressè D. Bernardus Serm. 5. in Cantico. ubi de angelorum corporibus sic discurre: Ceterum angelica corpora utrum nam ipsis spiritibus naturalia sint sicut hominibus sua, & sint animalia sicut homines, immortalia tamen, quòd nondum sunt homines; porro ipsa corpora mutant & verentur in forma & specie quæ volunt, quando apparere volunt densantes & solidantes ea quantum volunt, cum tamen in sui veritate præ subtilitate nature atq; substantie sue impalpabilia sint, & nostris omnino inattingibilia visibus, an verò simpliciter spirituali substantia subsistentes, corpora cum opus est sumant, rursusq; expleto opere ponant in eandem de qua sumpta sunt, materiam dissolvenda, nolo ut a me requiratur. Videntur

sur Patres de hujusmodi diversa sensisse: nec mirum spericuum est, unde alterutrum doceam: & reserare fateor. Sed & vestri profectibus non mutuum conferam arbitror harum rerum notitiam.

Dico 4. Anima rationalis non est forma effluens, sed verè corpus informans. Ita Fides Catholica contra Averroem & Platonem, quamvis hunc aliqui excusent.

Probatur igitur primò Ex Auctoritate Ecclesie in Conc. Vien. sub Clemente V. relat. in Clemente unica de summa Trinitate §. 2. his verbis: *Doctrinam omnem, seu opinionem temere asserentem, aut verentem in doctrinam quòd substantia anima rationalis ac intellectiva verè ac per se humani corporis non sit forma, vel atomum & Catholica veritati inimicam, prædictis sacro Concilio approbante reprobamus, desuicentes, quòd quisquæ dempsit asserere, seu tenere pertinaciter presumperit, quòd anima rationalis, seu intellectiva non sit forma corporis humani per se & essentialiter, tanquam hereticus sit censendum.* Item ex Conc. Lateranensi sub Leone X. Sess. 8. cujus sunt verba: *Damnamus & reprobamus omnes qui animam intellectivam mortalem, esse aut mortalem cunctis hominibus, & hoc in dubium verentem, non solum verè per se & essentialiter humani corporis forma existat, verum etiam immortalis, &c.*

Probatur etiam Ex Auctoritate D. Augustini lib. 21. Civit. cap. 10. ubi probat, Dæmones per ignem corporalem verè licet miris cruciari, quòd ei assistent licet animalia non faciant, & subdit etiam animam nostram esse alligatam ad corpus, sed in animalia faciat, verba ejus sunt: *Adversus spiritus, si eis nulla sunt corpora, spiritus Dæmonum, aut spiritus Dæmones, licet incorporei, ipsius ignis cruciandi, non ut ignes & animalia, quæ consistunt spiritu & corpore, sed ut dixi miris & in aliis modis adherendo accipientes ex ignis venam, non dantes ignibus vitam, quia & iste alius modus quo corporibus adherens spiritus & animalia, non modo miris, nec comprehendit ab homine potest, hoc ipse homo est; sed si anima assisteret tantum corpori non plus faceret cum eo animal, quam Dæmon cum igne, ergo. Unde sepe docet animam sentire per corpus, & corpus propter animam, hoc autem non aliter, quam quia faciunt unum per se; ita habet 11. Trinitat. cap. 2. &c.*

Probatur tertio Ratione primò Quia si Anima esset assitens tantum, sicut Navelerus navi & Angelus Cælo, possit esse spaciū absque eo, quòd moreretur vitæ sicut potest Navelerus absque eo, quòd navis pereat, dicere autem, quòd sic dispartita ex eo, quia Deus sic ordinavit, ut anima abente pereat corpus, est merè voluntarium, nec dici potest ob aliam causam hanc ordinationem esse, quàm quia anima verè unitur ipsi corpori. Secundò, si Anima esset tantum assitens, Anima non dependeret à certis corporis dispositionibus & maneret existente quacumque in dispositione temperamenti, sed hoc est falsum, ergo: Probatur major, quia Anima separata potest

potest est praesens intimè, cum & sine his dispositionibus, ut certum est: probatur minor, quia si aliud non requiritur ad constituendum vivens animatum, quam intima praesentia, sequeretur, quòd si Anima intimè assisteret lapidi, quòd intrinsecè constitueret ipsum viventem. Tertio, quilibet homo est ens unum per se, nam dicit S. Augustinus Epist. 3. & 102. *Animam & Corpus unam esse personam*, sed non posset esse unum per se nisi anima & corpus in unum coalescerent per aliquam unionem, ergò Quarto, Principium operationum cujuslibet rei naturalis est ejus rei forma, sed in homine sunt operationes intellectus & sensationum, ergò earum principium est forma; major patet in omnibus rebus inanimatis, de quibus etiam certè non posset alioquin probari, quòd sint verè formae, quia quà facilitate negaret mihi Animam non esse formam corporis, sed tantùm assistere, eàdem facilitate negabo de forma ignis; minor patet experientia & ex autoritate D. Aurelii lib. 11. Trinit. cap. 2. *Et quamvis non sentiat corpus ex anime, anima tamen commixta, non dicit assitens corpori per instrumentum sentit corporeum*, nempe per oculum, quem constituit, de quo ibi loquebatur. Objectiones in contra sunt parvi momenti, unde omitto.

QUAESTIO II.

An anima rationalis sit immortalis?

I.
Feliciter
sua potest
immortalitas

Pro resolutione hujus quaestionis advertendum est tripliciter sumi posse ly: *Immortale*, primò pro omnimoda indefectibilitate, quàm illud vocatur immortale, cui adeò repugnat ex sua intrinseca ratione & natura mori, five desinere, & per nullam omninò causam destrui, aut annihilari possit, secundùm istam immortalitatis acceptionem solus Deus benedictus est immortalis, juxta illud 1. Thess. 6. *Qui solus habet immortalitatem*. Secundus modus immortalitatis est, quo immortale dicitur illud, quod ex intrinseca naturæ suæ conditione natum est ita esse semper, ut naturaliter corrumpi non possit, eò quòd à nulla causa creata dependeat, neque contrarium habeat, à quo destruat, hæc convenit Angelis, & materiæ primæ. Tertius & imperfectissimus immortalitatis gradus est, quòd ea, quæ ex naturali conditione sunt corruptibilia ex gratuito tamen Dei decreto perpetuò conservata dicuntur immortalia, prout homines in statu innocentiae, & post resurrectionem immortales dicuntur.

II.
Vana Philosophorum
opinionem.

De immortalitate sic intellecta juxta secundum sensum (nam de primo & tertio non est notabilis controversia) variæ fuerunt antiquorum Philosophorum sententiæ; Epicuræi carnale hominum genus una cum Plinio lib. 7. hist. nal. cap. 55. negarunt immortalitatem animæ rationalis cum multis aliis Ethnicis, qui jam in inferno proprio damno errorem discunt; Plato autem in Thimæo & aliis locis manifestè distinguit, inter animas brutorum & hominum illas alterens mortales, hominis verò immortalitatem.

F. Amandi Hermanni Physica.

lem, cui etiam præmia & poenas post mortem deberi agnovit; quid verò senserit Aristoteles non satis constat, Scotus ait eam de hac re semper fuisse dubium, quamvis fortè in partem affirmantem magis propenderit, nam 1. de an. cap. 4. t. 65. dicit, intellectum nostrum esse passionis expertem & interitum, & quoddam Divinum, quod ego mihi quoque facilius persuadeo sensibile; quidquid tamen dixerit ego

Dico primò ad Quaestionem:

III.

Anima est immortalis. Hæc est contra Saduceos.

Anima est immortalis.

Probatur primò Ex Sacra Scriptura

Sap. 3. *Iustorum anime in manu Dei sunt & non tanget illas tormentum mortis, visi sunt oculis insipientium mori, illi autem perpetuò sunt in pace*. Sap. 5. *Iusti autem in perpetuum vivunt*. Eccles. 12. *Iste homo ad domum eternitatis suæ. Revertatur pulvis in terram suam unde erat, & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum*. Matthæi 20. *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere*. Et ex duodecimo articulo symboli Apostolici, quo credimus vitam eternam, qui articulus stare non potest cum animæ mortalitate.

Probatur Conclusio secundò

IV.

Authoritate Concilii Lateran. sub Leone X. Sess. 8. ubi rem definit & omnibus Philosophis præcipit ut argumenta, quæ contra fieri possunt solvant, verba ejus sunt: *Cum diebus nostris nonnulli ausi sint dicere de natura Animæ rationalis, quòd mortalis sit, & aliqui temerè philosophantes, secundùm saltem Philosophiam, verum esse assererent, sacro approbante Concilio damnamus & reprobamus omnes asserentes animam intellectivam esse mortalem, aut unam in cunctis hominibus, & hæc in dubium vertentes, cum illa non solum verè & essentialiter humani corporis forma existat. Verùm & immortalis, & pro corporum quibus infunditur, multiplicitate, singulariter multiplicabilis, multiplicata & multiplicanda*.

Probatur tertio Authoritate SS.

V.

Patrum Augustini, qui integrum Librum de immortalitate Animæ scripsit, ubi cap. 4. dicit: *Manifestum est immortalem esse animam humanam*. Lib. 2. Soliloq. cap. 19. ait: *Immortalis est anima, jam jam crede rationibus tuis, crede veritati. Clamat & in sese habitare & immortalem, nec sibi suam sedem quacunq; corporis morte posse subdaci*. Lib. 6. Confess. cap. 11. dicit: *Quid si mors ipsa omnem curam cum sensu amputabit & secet? ergò & hoc querendum. Sed absit ut ita sit, nunquam tamæ & talia pro nobis devinitus agerentur, si morte corporis etiam vite animæ consumerentur*. Et alibi sæpè D. Bernardi Serm. 5. in Cant. ubi dicit: *Nos quidem vivimus post corpus, sed ad ea quibus beatè vivitur nullus nobis accessus patet nisi per corpus*. Et Serm. 81. ubi non solum animam immortalem docet, sed etiam differentiam immortalitatis ejus ab immortalitate DEI ostendit, verba ejus sunt: *Alias autem*

Ecccc 2 immor-